


Opuscula

CORONA
VIRTUTIS & ERUDITIONIS
THEOLOGICA
LAUREA,
ERUDITO CAPITI,
Perillustris & Reverendissimi Domini,
D. JOANNIS HERCULANI MATUSZEWIC,
Canonicorum Regularium Lateranensium, per Minorem Poloniam, & M. D. Lithuaniæ,
PRÆPOSITI GENERALIS,
IMPOSITA,
&
Dum in Alma Universitate Cracoviensi,
PER
Perillustrem, Clarissimum & Admodum Reverendum Dominum,
D. M. ANDREAM AUGUSTINUM CZYRZYCKOWIC,
S. Th. DOCTOREM & PROFESSOREM, ejusdem Facultatis DECANUM, Ecclesiarum Collegiat S FLORIANI PRÆPOSITUM, Neosandecensis PRIMICERIUM, Almæ Universitatis Cracoviensis SENIOREM PATREM, In Illustrium Hospitum & Senatûs Academici Coronâ,
S. Th. DOCTOR, Ritu Solenni inaugurarentur
A
Congregatione Canonica debito venerationis homagio,
HONORATA.
Operâ, FRANCISCI BARANSKI, Can: Regul: Later: S. Th: Auditoris.
ANNO
qVo PaLLas LaVrIs generosè Donat OLoreM.



CRACOVIÆ, Typis Francisci Cezary, S. R. M. Ordinarij Chalcographi,



CORONA VIRTVTIS & ERVDITIONIS THEOLOGICA LAVREA.

Excelſa Virtus per ima ſerpere neſcit.
Surgit hæc ſemper in altum
&
nunquam caſu graviore ruit.
Et meritò: nam,
terminus virtutis eſt, ſublime Solium,
Odit hæc & arcet deſides Animas,
quibus deſiderium abeſt alta petendi.
Reddit cunctorum hominum mentes, auguſtas
quæ quærunt Auguſta, per Anguſta.
Excludit Vniverſos à celſo Honore
qui ſe ab onere excludunt.
Non portant ullius Theopompi tempora Laurus,
niſi priùs
copioſo ſudorum nimbo aſperſæ effloreſcant.
Nunquam eſt quiſpiam Morphèûs in ſolio ſummo,
qui ſolo pigritiæ ſomno occupatur.
Perennem non moritura Laudis Honorisq; Nomini Suo extruit Clepſidrã.
qui
arduam per præceps virtutis vadentem iter inſequitur gloriam.
Nam
immortale Honoris & gloriæ capeſſere decus,
Virtutis CORONA eſt.
ad quam per vaſtos laborum anhelitus,
vis innata nobiles animas trahit.
Non enim ex jugo facili lecta Coronæ juvant,
quin ſudatas curas expendere proponant.
Ita eſt,
Laureatus Honor præmium virtutis & meritorum,
frontes exambit ſerenas
quas irriguus ſudor proluerit.
Fabios, Camillos, & innumeros alios, pulcher gloriæ,
ac immortalis triumphi exornavit Honor,

Sed non ſine prævio laborum & meritorum proventu.
Cunctis enim eſt amica Virtus, amiciſsima labori,
Cujus individua Comes nominatur.
Arcet hæc ab Arce gloriæ Sardanapalos, amat Catones
removet Heliogabalos, fovet Tullios,
qui
in ſublime evectam gloriæ Majeſtatem contendunt evolare.
Hæc eſt inclyta gloria,
Meritis celſos obtinere Honores,
non meris Fortunæ favoribus;
quia
Fortunæ ludentis dignatione parti triumphi inſtabiles,
propria acquiſiti virtute perennis gloriæ adſunt monumentum.
Verùm
Nihil Tu ludenti Fortunæ debes,
præter luſum;
Perilluſtris & Reverendiſsime Domine,
D. IOANNES HERCVLANE
MATVSZEWIC,
Canonicorum Regularium Lateranenſium, per Minorem
Poloniam, & Magnum Ducatum Lithuaniæ,
PRÆPOSITE GENERALIS.
Sacræ Theologiæ NEO-DOCTOR,
qui ejus favores ſæpiùs eluſiſti.
Non enim THEOLOGICAM Lauream contulit Tibi volubili rotæ
inſidens Dea,
Sed ſublimis virtus Tua
quæ per ingentia merita Tua Dux Tibi fuit ad CORONAM.
Mereri LAVRVM voluiſti, non habere;
ut nihil Fortunæ
ſed omnia virtuti debuiſſes.
Non primò Orbis hujus cernebas lucem,
quàm ipſe luce fulgebas;
fulgorem Virtutis in nativo Candore Tuo repræſentans.
Referebas Gentilitij Tui CYGNI Candorem
qui eſt.
virtutibus, & morum probitate integerrimus Ales,
cum
eſt in juvencis & in equis Patrum
Virtus nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.

 Nec

Nec voluisti celsarum virtutum Tuarum tegere lucem
quamvis Lucinæ fascijs tegebaris
ut ad primæ juventæ Tuæ initia,
in admirandum virtutis Tuæ argumentū traxeris animos
In juvenili ætate, nihil in Te juvenile erat:
præter annos.
Adhuc in prætexta jam Vir censebaris ætate ;
dum Tibi non puerilis lusus,
Sed maturi judicij placuit usus.
Novisti Scientiam animorum esse Principem,
ideo, principia literarum inchoasti.
Ferebaris intimo in literas amore,
insomnes ad Lucernam Cleanthis ducendo noctes:
ut atra nocte,
obfuscatam ignorantiæ caligine mentem
conspicua Sapientiæ luce illustrares.
Apparebas hîc Christianus sub Chirone Achilles,
qui non tantùm docebaris,
sed & docebas.
Docebas plurimos, qui scandere sciebant de malo in malum
declinare à malo,
antequam declinationes didicisti.
Mirabantur cuncti miram ingenij Tui sagacitatem
& cùm neminem Tibi intuebantur parem;
Anacharsim Te inter Scythas nominarunt.
Evectus ad alta celsioris Parnassi juga,
ut per ea scandere de bono in melius scires,
postquam optimè declinare didicisti.
Nec horruisti arduos Heliconis colles,
dum modò
inter eruditas Musas non rudis esses collatus.
Progressus tandem ad amæna Tuliana Tempe;
penitùs omnem Mæotydem exclusisti.
Hîc TE
Graviores labores dexterrimum probaverunt Alciden
quem, nec
immensum Tullianæ facundiæ absorpsit flumen,
nec
expansæ Mercurij alæ, turbulentos laborum concitando
Aquilones deteruerunt.
Magnus in Tulliana Palæstra oneribus pressus
exonerari nec cogitasti: sed
Secundis auspicibus per arduos difficilesq; passus ad virtutis
CORONAM properabas.

Charybdæos

Charybdæos laborum Scyllæosq́ periculorum prætergredi scopulos non metueras,
quando præmium virtutis CORONAM merueras.
Ivisti per perplexos Philosophicos ad CORONAM Mæandros,
non videri diciq; Philosophus, sed esse maluisti.
Nec micam Tibi Pannici timoris cornuti incusserunt, syllogismi,
quem
nec in FERIO formata Philosophorum feriebant Argumenta.
Verùm
dum Te jam sublimes seculi exposcebant Honores,
velo Sacræ Religionis Canonicæ velari postulasti;
ut sic celatus de seculo,
sola Cœlestia avidus posses contemplari.
Fugisti honores non aufugisti tamen,
quia
Virtus Te ad sublimia semper vocabat; quæ
nescit in parvis latitare terris:
sed in altissimis habitat, ac
cunctos amatores sui trahit in altum.
Vertebas cunctorum oculos, vertebas animos, & conversos
in Te tenebas,
Siquidem ingens delicium erat CYGNEVM Candorem Tuum,
CYGNEOS quoq; mores intueri.
Nec immeritò; nam,
splendore Nominis, morum comitate virtutum claritate præluxeras.
Quocunq; enim Te vertisti solus,
ubiq; splendissimum repræsentabas Solem,
cùm insigni clarissimarum virtutum stipatus caterva
ubiq; resplendebas.
Omnes ferè virtutes Tuas intuentes, unanimi voto ac una voce dicebāt
quod brevi virtutes hæ ad sublimia Honorum, fastigia extollentur.
Omnes etenim indefessi labores Tui
non Tibi labi:
sed surgere in altum demonstrabant.
Si quivis illorum ad quævis honorum subselia fuerunt Tibi gradus,
maximè tamen ad Lauream.
Sic quippe eruditam adamasti Palladem,
ut ei
pro Ara Caput, pro sede mentem, pro simulacro memoriam,
pro lumine ingenium, pro incensis & odoribus
quotidianas lucubrationes dedicaveris.
Nunquam Tibi placuit, à Palladianis cessasse operibus;

unde colligo
verum Te amatorem ipſius extitiſſe.
Conſcendiſti primô Craſnicenſes Exedras, &
Diviniore facundia præditus;
diſertiùs Tullio, ſuaviùs Demoſthene, vehementiùs Pericle, loquebaris
cum fiducia Verbum DEI.
Ita Tibi benevolos Auditoris captabas animos,
ut ſimul animas eorum Deo captaveris.
Accurebant cuncti non cunctantes verè Pegaſeo paſsu,
ad audiendum Te Divina loquentem Orphèûm,
qui ſaxea plurimorum corda ad ſaltum movebas,
in viam ſalutis.
Magna univerſis Hilaria faciebas,
quando Eccleſiaſtica conſcendebas Roſtra:
qui deſiderabant Te loquentem ſemper audire
maximè tamen cùm ſilebas.
Gratulabatur ſibi Craſnicenſis Civitas felicitatem tantam,
quod Te
Sacrum Hyperiden ſortita fuerit,
felicior futura
Si Te non noviſſet.
Nam,
Non diu tanta potiebatur felicitate,
dum Te exinde ad majora virtus eduxit.
Traxit Te ad ſe Metropolitanæ Vrbis Vilnenſis
P R Æ P O S I T V R A,
aſt Tu eximius honorum contemptor non aliâ voluiſti.
C O R O N A inſigniri,
quàm Laurea.
Sciebas optimè, quemvis cui cura domûs eſt, magis curare aurum,
non Laurum,
ne tanta experireris impedimenta,
ſublimiori faſtigio renunciaſti.
Vnicas Tibi reputaſti delicias eruditæ Minervæ ſemper intentum
eſſe operibus,
idcircò
in Canonica Generali SS. CORPORIS CHRISTI
& Eccleſiaſticam Cathedram,
& Scholaſticam ſimul aſſumpſiſti.
Nullo hîc laborum pondere preſſus.
Sive in proprijs, ſive in alienis ædibus ſacris, ædificandus
erat; populus verbo vitæ,
ſive ex Scholaſtica Cathedra ignorantiæ nube velatæ mentes
ſcientiæ luce illuminandæ erant, utriq.

utriq; oneri Athlanteos sufficientes suppoſuiſti húmeros ſicq;
ex utroq; Cæſar apparebas.
Novit bene animi mei Horyzon Tuæ Sapientiæ lucem,
quem ſi Tu non illuſtraſſes, ad meridianum hactenus
cæcutijſſet ſolem;
qui in Philoſophicis à Te eruditus difficultatibus,
Diviniorem Palladem erudito Capiti Tuo inſidentem,
ſubmiſſa propenſione venerabatur.
Sic Philoſophicum expediviſti curſum,
ut
nemo noſtrûm in eo ceciderit.
Patuit enim hîc ingenij tui acumen,
ſed ſine punctura;
cûm omnes difficultates facillimè enodaſti.
Cæpiſti tandem Incarnationis Divinæ explicare Myſteria,
hîc Te Angelum in carne credebamus;
quoniam
non hominem,
Sed Intelligentiam Te audire videbamur:
quia de ita altis myſterijs.
nunquam ſic locutus eſt homo:
Ita Tibi maximi momenti eruditionem æſtimaſti,
ut
ne eam deſueris;
ſublimiora faſtigia multoties deſeruiſti.
Et benè eſt,
Nulla quippè tempora avidus ſacra laurea poſcit,
quàm quæ ante CORONAM
exacta coronat eruditio.
Ita Divinum Theologum
certè Cæleſtem in terra Virum,
doctrinâ, moribus, nullius Ariſtarchi cenſoriam Virgulam metuentem,
iterum Craſnicenſis poſcit Conventus, ac
PRÆPOSITVM Digniſsimum
ſalutat, ſuſcipit, veneratur.
Infelix tamen Oppidum Craſnicenſe
ſecundò Te ſalutavit, & non ſecundè,
quia Te non diu habuerat.
Non plus ultra,
pati Tibi ſtuduit ſublimis honor
PRÆLATVRÆ GENERALIS;
& ne eum iterum contemnas,

cunctorum

cunctorum voces in Te, & concordia collegerat vota.
Quidni scilicet omnium favores atq; studia in Te conspirent?
qui immemor plane Tui,
in tot ac tantis gloriosè suscipiendis laboribus
communi omnium bono ac honori studuisti.
Siquidem
thus Diis, honor magnis meritis debetur.
Collocatus in sublimi PRÆPOSITVRÆ Generalis solio
gravibus distractus negotijs,
non grave existimas Palæstræ peragere negotia;
Quem sacer Musarum Præses ad laurum invitat.
Et jam hæret mens, sub pondere magnitudinis Tuæ,
cui debitas encomiorum laudes depromere nequit.
Hæret & manus, immmensa Virtutum Tuarum
oppressa mole,
Hæret & calamus, nec ultra progredi valet,
quo enim magis Tuam circumscribere appetit probitatem
& eruditionem,
eo major instat meritorum series.
Phäetontis quippè est sequi vestigia
eum velle reptili facundia extollere sursum,
quem ipsa eruditio insignis extulerat.
Non eget ille alienis coronari hæderis,
quem Doctoralès exornant Laureæ.
Exornat Te jam Theologica Laurea;
pro qua assequenda
auream ætatem consumpsisti.
Novum itaq; honorem tota Tibi gratulatur Congregatio,
& Coronatum Doctorem
debito submissionis veneratur cultu,
Simulq; intimis apprecatur votis,
ut Theologica Lauru protectus,
nullo adversæ Fortunæ concutiaris fulmine,
Sed Nestoris longitudine, Midæ felicitate secula ducas
debita Virtuti & eruditioni Tuæ insignitus
C O R O N A.






Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej
02350

